Quelle: https://manuscripta.at/?ID=468
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

bant. Sed et alias oves habeo que non sunt
de isto grege, et illas oportet me
adducere, ut fiat unus grex et unus
pastor. Hoc autem subito faciet, ut
quando omnia fuerint desperata, tunc ingentem
fortissimam congregent. Que licet
ex parte in ecclesia cottidie videamus
expleri, tamen in mundi consummati-
one plenius conplebuntur et in secundo sal-
vatoris adventu. Spiritus domini super
me, eo quod unxerit dominus me; ad annun-
tiandum mansuetis misit me, ut me-
derer contritis corde et ut predicarem
captivis indulgentiam et clausis aperti-
onem, et annuntiarem annum placabilem
domini et diem ultionis deo nostro, ut con-
solarer omnes lugentes, ut ponerem lugen-
tibus Syon et darem eis coronam pro cinere,
oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro
spiritu meroris. LXX: Spiritus domini super me,
propter quod unxit me, evangelizare pau-
peribus misit me, sanare contritos cor-
de, predicare captivis remissionem et
cecis ut videant, vocare annum accep-
tabilem domino et diem retributionis, con-
solari omnes lugentes, dare lugentibus
Syon, dare eis gloriam pro cinere, unctio-
nem letitie lugentibus, habitum glorie pro
spiritu meroris. Ille qui supra dixerat:
ego dominus in tempore congregabo eos, si-
ve iuxta hebraicum: ego dominus in tempore
eius subito faciam istud, loquitur conse-
quenter: Spiritus domini super me. Non quod dominus deus
habeat dominum deum, sed quod iuxta dispensa-
tionem carnis assumpte dicat ea que
humilia sunt, ad quem psalmista iam
dixerat: Dilexisti iustitiam et odisti in-
iquitatem, propterea unxit te deus deus tuus
oleo exultationis pre consortibus tuis.
Quando enim consortes nominantur, naturam
carnis intellige, quia deus consortes
substantie sue non habet. Et quia erat unc-
tio spiritualis et nequaquam humani cor-
poris, ut in sacerdotibus iudeorum, idcir-
co pre consortibus, id est preceteris sanctis unctus
esse memoratur. Cuius unctio expleta est
tempore quando baptizatus est in Iordane et
spiritus sanctus in specie columbe descendit
super eum et mansit in eo. De quo et
hic idem propheta dicebat: Exiet vir-
ga de radice Iesse et flos de radice
eius ascendet et requiescet super eum spiritus do-
mini, spiritus sapientie et intellectus, spiritus consilii
et fortitudinis, spiritus scientie et pietatis. Unde
et salvator cum venisset in Nazareth,
in qua nutritus erat, postquam baptizatus
erat in Iordane, ingressus est iuxta
consuetudinem in die sabbati synago-
gam eorum. Cumque surrexisset ad legen-
dum, datus est ei liber Esaie prophete. Quo
aperto invenit scriptum: Spiritus domini super
me, propter quod unxit me, evangelizare
pauperibus misit me, predicare capti-
vis remissionem et cecis visum, di-
mittere fractos in libertatem, predicare
annum domini acceptum. Quem cum convolutum
librum reddidit ministro et sedit et
omnium oculi qui erant in synagoga
adtendebant in eum, cepit ad eos
dicere: Hodie completa est scriptura hec
in auribus vestris. Et omnes testimonium
perhibebant ei et mirabantur super sermo-
nibus gratie qui egrediebantur de ore
eius. Si ergo illo completa est tempore pro

In natali domini.
LXI.